



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. Forma veræ Inuocationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

Matth. 4. *Satanas suadens Christo, ut se de pinna-  
culo Templi deijceret, et utens dicto Psal. 91, Angelis  
suis mandauit de te etc. refutatur à Christo hac ora-  
tione, Non tentabis Dominum DEVM tuum. Est au-  
tem Tentare Deum, fiducia propria sapientie et ui-  
rium sine uerbo & uocatione Dei discedere à man-  
dato & ordinatione diuina, tanquam certantem cum  
Deo sapientia & proprijs uiribus, uidelicet, aut ne-  
gantem Deum & opera Dei, aut corrigentem ordi-  
nationem Dei humanis consilijs. Sic Iacob, etsi acce-  
perat à Deo promissiones de defensione, Tamen me-  
dijs diuinitus ordinatis utitur, subijcit se fratri, mit-  
tit ei munera, pramittit nuncios, fit supplex, sed ta-  
men spem salutis & defensionis non in sua diligentia  
aut sapientia, sed in solo Deo collocat.*

#### IIII.

### DOCTRINA DE INVO- catione et forma precationis.

*Propria uirtus Ecclesie, & precipuus murus in  
omnibus periculis est Vera Inuocatio Dei. Cum au-  
tem in hoc Capite perfecta precationis forma pro-  
ponatur, breuiter eam explicabo.*

Inuocatio est petere à DEO bona  
præsentia & æterna iuxta ipsius pro-  
missiones, & simul statuere ac profitez-  
ri, quod Deus uerè sit dator illorum

e 4 bonoꝝ

bonorum propter CHRISTVM,

PRIMUM autem in omni Inuocatione cogitandum est, Quis sit DEVS, quem compellamus, et dirigenda mens est ad unum solum uerum Deum qui se in Ecclesia certo uerbo seu data promissione de Christo, et editis illustribus testimonijs miraculorum patefecit. Ideo Iacob ipsa compellatione uerum Deum à commentitijs discernit, et mentionem facit promissionum, hæc uerba usurpans, Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac, & Iehoua qui dixisti &c. Q. d. Inuoco te uerum Deum patefactum auo meo Abraham, et patri meo Isaac, et mihi edita promissione de benedicto Semine, et certis testimonijs: Te oro, ut propter uerborum Semen, et propter tuas promissiones me ex hoc periculo eripias.

SECUNDO, Cogitandum est, Mandatum Dei, quod præcipit inuocationem, et promissiones, quibus pollicetur Deus se nostras preces exauditurum esse. Sic Iacob hoc in loco constantissime Deo proponit ipsius promissiones, Domine tu dixisti, Reuertere in terram hanc, Tu locutus es, te mihi benefacturum esse, et dilataturum Semen meum sicut arenam maris.

TERTIO, Res petendæ sunt. Primum bona spiritualia, ut Remissio peccatorum et gubernatio diuina, deinde etiam bona corporalia, quæ plerumque sunt προκαταρκησιν precationum, ut Esaiæ in primis sexto dicitur, Domine in tribulatione requiritur

te. Sic Iacob petit defensionem aduersus fratrem Esau.

QUARTO. Finis precipuus inuocanti propositus esse debet, ut Deus gloria afficiatur & celebretur. Hunc finem Iacob spectat dicens, Erue me de manu fratris, ne interficiantur matres et filij, Tu locutus es te benefacturum mihi, etc. Id est, Defende et libera me ex hoc periculo, ne pereat Ecclesia recte te inuocans et celebrans, & ne tua gloria deformetur. Tue enim ueritatis interest, promissiones de defensione mihi traditas constanter seruare. Hanc precationem sequitur liberatio ex periculo et defensio iuxta promissionem. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, inuocantibus eum in ueritate.

## VI.

DE LVCTA FIDEI IN  
tentationibus & ærumnis.

Lucta Iacob cum filio Dei, pulcherrima imago est Fidei omnium Sanctorum luctantis cum ira Dei, peccato, propria indignitate, maledictione legis, & uincens cogitatione et fiducia promissionis de Christo omnes tentationes, quibus oppugnatur. Sicut mulier Cananea Matth. 15. Filium Dei oppugnantem eam obiectionibus de indignitate & particularitate firma fide uincit.

Solet autem quæri qualis fuerit Lucta Iacob cum filio Dei. Sed historia docet, Iacob primum ui-

c s ribus